


**Schediasma Historico Philosophicum De Apollonio Tyanensi Philosopho Pythagorico Thavmatvrgo ...**

## **Cvivs Sectionem Primam Praeliminarem**

Vitembergae: Litteris Ioannis Andreae Röberi, [1723]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1769573739>

Band (Druck) Freier  Zugang



Klose,  
Schediasma - de Apol-  
lonio Tyanensi.  
1723.

b

308.



26  
308



2 D. B. V.

SCHEDIASMA  
HISTORICO PHILOSOPHICVM  
DE  
APOLLONIO TYANENSI  
PHILOSOPHO PYTHAGORICO  
THAVMATVRGO

CVIYS

SECTIONEM PRIMAM PRAELIMINAREM

PRAESIDE

ERNESTO CHRIST. SCHROEDERO

PHILOS. PRIM. AC RATION. PROF. PVBL.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

DIE XX. NOVEMB. MDCCXXXIII


SUBIICIT

M. SIGISMVNDVS CHRISTIANVS KLOSE  
DVRLACENSIS

---

VITEMBERGAE

LITTERIS IOANNIS ANDREAE RÖBERI



DEO  
PATRIAE  
PARENTI  
S.

I. N. I.

SCHEDIASMATIS  
 HISTORICO PHILOSOPHICI  
 DE  
 APOLLONIO TYANENSI  
 PHILOSOPHO PYTHAGORICO  
 THAVMATVRGO  
 SECTIO PRAELIMINARIS.

S. I.

**O**Mnis, quae apud Graecos olim floruit, Philosophia, in tres communiter distinguitur classes, siue scholas, a loco et regione, ubi primum quaelibet condita fuit et floruit, potissimum

A 2 deno-

Ad uerba: *in tres communiter distinguitur classes.* Quartam, quam nonnulli addunt, Philosophiae Graecanae classem, Poeticam nempe, siue Mythicam, nos de industria hic omittimus: non enim de omnibus illis nobis hic sermo est, quos, ob praeclare et sapienter quaedam dicta, inter Philosophos aliquo modo referre poteris, sed de iis tantum, qui se Philosophos professi sunt, et tales se esse publice instituendo scholas ostenderunt, in quibus non modo rerum diuinarum humanarumque scientias, concatenata principiorum conclusionumque serie, suis auditoribus proposuerunt et demonstrarunt, sed et doctrinas suas per discipulos et successores, quos in schola constituerunt, ad alios propagarunt: neutrum uero horum de ueteribus Graeciae Poetis asseri potest, quippe quos uel scholas instituisse, uel etiam successores in scholis reliquisse, nusquam legimus. Multa  
 equidem

denominatas. Sunt autem illae Schola Ionica, quam  
Thales

equidem in ipsorum scriptis sapienter dicta inueniuntur, ad formandos mores, uitamque probe instituendam, egregie comparata; uerum enim uero, ut iam nil de eo dicam, quod plerorumque horum scriptorum autores admodum sint incerti; in iis certe, quos genuinos parentum, quorum nomina in fronte gerunt, foetus eruditi agnoscunt, paucissimae illae, quae insperae reperiuntur, sapientiae portiunculae, tot implicatae sunt uariarum ineptiarum errorumque inuolucris, ut, exiguum illud auri ex tanto stercore elicere, operae pretium uix mereatur. Scilicet Poetarum apud Graecos institutum non erat, Philosophiam docere, sed arma potius uirosque canere, aut suis fabulis genio sui populi, mirum in modum istiusmodi sese delectantis narratiunculis, indulgere. Factum hinc est, ut, ubi uel maxime Philosophi esse uolunt hi uiri, omnium maxime ineptiant. De Deo namque, rerumque omnium primis originibus dictari, non solum Polythesismo, quo absurdus ab humana ratione excogitari nil potuit, aperte patrocinantur, sed et amores Deorum praeposteros exponunt, nuptiasque fraternas, et in Deos conuitia, et filios comestos, atque dolos parum liberales, et altercationes, aliaque flagitia, impudenter Diis adscribunt, quae uel homo, cui aliqualis saltem suae famae et existimationis cura est, patere religioni sibi duceret, multo minus in Deum, ens sapientissimum pariter ac sanctissimum, possant cadere. Quot uero quantisque flagitiis Poetarum de Diis suis relationes ansam dederint, false nobis ostendit Terentius in Eunucho, quando iuuenem quendam, uidentem tabulam, ubi inerat pictura haec: Iouem quo pacto Danaae misisse aiunt quondam in gremium imbrem aureum, ita secum reputantem inducit:

- - quia consimilem iuferat  
Iam olim ille ludum, impendio magis animi gaudebat mihi,  
Deum sese in homines conuertisse, atque per alienas tegulas  
Fucum factum mulieri, uenisse per impluuium clanculum.  
At quem Deum? qui templa coeli summa Tonitu concutit,  
Ego homuncio haec non facerem - -

hinc etiam Sextus Empiricus Poetarum de Diis suis relationes plenas  
omni

## Thales Milesius, quem ob sapientiam morumque integritatem

A 3

omni impietate fabulas appellat, advers. Mathem. p. 283. et Xenophanes, refellens Homerum et Hesiodum, ita scribit:

Proberi et dedecoris quicquid mortalibus unquam est,

Id totum antiqui Diis attribuere Poetis

Furtum et adulterium, inter se et fallere ipsos.

Et haec sine dubio fuit causa, cur Plato, sapientissimus Veterum Philosophorum, Homeri libros e republ. bene constituta eiciendos statuat L. II. de republ., ne scilicet scandalum praebeant Deorum scelera, ab ipso relata. Quae cum ita sint, tantae sapientiae laudes hisce hominibus cur tribuamus, non uideo, praesertim cum de ipsorum mente sensuque, quem suis tribui uoluerit fabulis, plane non constat inter Philosophos. Homerum, scribit Seneca Ep. LXXXVIII., quidam faciunt Philosophum Stoicum, uirtutem solam probantem, et uoluptates refugientem, et ab honesto ne immortalitatis quidem pretio recedentem: modo Epicureum, laudantem statum quietae ciuitatis, et inter conuiuia cantusque uitam exigentis: modo Peripateticum, bonorum tria genera inducentem: modo Academicum, incerta omnia dicentem. Ex Homero omnium pene Philosophorum sententias deriuat Plutarchus L. I. de Homero. Homerum Pyrrhoniae sectae principem atque autorem fuisse, uoluerunt sceptici ap. Laetium L. IX. conf. Ionf. de Script. Hist. Philos. L. III. C. VII. ita namque facile fuit, omnium sententiarum Philosophicarum uestigia in uiri scriptis deprehendere, qui de nullis forte cogitauit. Ex his etiam apparet, quid de illis dicendum, qui in ueterum Poetarum, Homeri imprimis et Hesiodi, scriptis, quos Iac. Thomassius propositos sine cortice nuces appellat, omnigenae eruditionis, Theologicae, Iuridicae, Medicae, Philosophicae, Astronomicae, artis etiam militaris gerendaeque reipublicae ac regendae nauis, compendium inuenisse, sibi persuadent; sane et seculi, quo hi uiri uixerunt, ruditas, uirorumque conditio, talia ab ipsis frustra expectari, satis superque docent; id quod etiam de iis censendum, qui arcanioris cuiusdam sapientiae, chymiae imprimis, artisque metalla transmutandi, thesauros ibi reconditos esse uolunt. Omnium uero maxime ridendus est Gerh. Croesus, qui in Libro, cui titulum fecit Homerus Ebraeus,

tatem inter septem Graeciae sapientes ueteres retulere; Schola Eleatica, cuius autor Zeno Eleates fuisse perhibetur; et Schola Italica, a primo suo parente Pythagora alias Pythagorica denominata.

## §. II.

Quaelibet harum scholarum non doctrinarum modo praestantia claruit, sectatorumque frequentia per plures annos floruit, sed et plurimarum aliarum nouarum scholarum

Ebraeus, Dordraci 1704. 8vo edit., omni studio id probare allaborat, Poetam in sua, quam uocat, Odysea nil aliud nobis proponere, quam Patriarchatum V. T. gentisque Iudaicae facta, ab egressu Lothi usque ad mortem Moysi; in Iliade uero oppugnationem terrae Canaan, per Iosuaam factam, describi. Conf. Ioh. Alb. Fabricius in Bibl. Graec. L. II. C. VI. §. 2. p. 344. Ceterum plura qui scire desiderat de ueterum Poetarum Graecorum, Homeri imprimis et Hesiodi, scriptis, uariisque eorum editionibus, euoluat Fabricii Bibl. Gr. l. c. add. Stollii Hist. der Heydn. Moral. p. 25. sq. eiusdem Anl. zur Hist. der Gel. P. I. C. V. §. 52. et 66. et P. III. C. I. §. 16.

*septem Graeciae sapientes.* Quorum equidem nomina uno eodemque modo ab omnibus non referuntur, aliis hos, aliis alios substituentibus; communiter tamen hi fuisse dicuntur: Thales, Solon, Pittacus, Bias, Cleobolus, Periander, et Chilo, quorum uitam et apophthegmata collegit Stanleius Hist. Phil. L. I. p. 1. sqq. et Buddeus in Diss. quae sub tit. sapientiae Veterum extant. Boileau Gallus, hos septem Graeciae sapientes septem fuisse stultos, dicit, quo ipso tamen uiris hisce, uti omnia probant, honestis, et de republica optime meritis, iniuriam facere uidetur. Confer. Stollii Hist. der Heydn. Moral. p. 31. sq.

*doctrinarum.* Quae cuiuslibet recensitarum sectarum fuerint placita, exhibet Stanleius in Hist. Phil., et in compendio Buddeus in succincta delineatione Hist. Phil., Elementis suis Philos. Instrum. praemissa, de Morali erundem doctrina ex instituto agit Stollius in der Hist. der Heydn. Moral.

rum Philosophicarum fons et mater extitit. Nonnulli namque ex Thaletis, Zenonis, et Pythagorae discipulis, placita, quae a praeceptoribus acceperant, ad alios iterum propagarunt, indeque successores in schola sunt habiti; alii uero, praeceptorum doctrinis uel penitus reiectis, uel propriis saltem auctis meditationibus, nouum aliquod Philosophiae systema suis proposuerunt, nouamque sectam condiderunt.

## S. III.

Reliquis uero dubiam facile reddidit palmam schola Italica, siue magistri auctoritatem, siue doctrinarum celebritatem, institutorumque sapientiam, siue denique discipulorum frequentiam

*fons et mater.* Ita ex Thaletis Schola prodiit Socrates, qui, seposita rerum naturalium consideratione, cui Philosophi Ionici unice fere haec tenus intenti erant, ad formandos componendosque mores animum appulit, diligentiusque excultae moralis doctrinae laudem retulit, adeo ut de coelo in terram deuocasse moralem Philosophiam censetur. Huius ex discipulis uarii uarias iterum condidere sectas; pertinent huc non modo Cyrenaici, Eliaci et Megarici, sed et Antisthenes, Cynicorum autor, ex quibus Stoici orti sunt, et Plato cum suis Academicis, Platonisque discipulus, praeceptore non minus celebris, Aristoteles, Peripateticorum parens, quae quam celebres, quam per plurima secula florentes fuerint sectae, neminem, qui uel prima Historiae Philosophicae limina salutauit, latere potest. Ex Eleatica secta Democritum et Leucippum, una cum Epicuro, produsse constat. Italicam uero Scholam quod attinet, uix ullus ueterum Philosophorum est, qui ex illius riuis sua non irrigarit arua. Intereim si de harum sectarum omnium propagine, successibus et placitis, uberius hic agere uellemus, integrum aliquod Historiae Philosophicae systema uel compendium scribendum nobis esset, quod nostrarum nunc neque partium, neque uirium esse, lubentes fatemur. Pluribus hac de re agunt AA. supra citati, quibus addi potest Stollii *Hist. Der Gel.* L. II. C. I. ubi simul plures huc facientes scriptores allegantur.

tiam et obsequentiam species. Condidit illam Pythagoras  
Samius,

*Pythagoras.* Vitam Pythagorae ex ueteribus, pariter et recentioribus, multi scripsere. Veterum uero monumenta iniuria temporum pleraque interiere, quorsum etiam referenda Vita Pythagorae, ab Apollonio Tyanensi scripta. uid. Ionf. Hist. Phil. L. III. C. V. §. 4. p. m. 20. Superfunt tamen hodie ex ueteribus ea, quae Laertius de Sect. Philos. L. VIII. de Pythagora eiusque Philosophia consignauit, ex quibus, ut et ex Porphyrii, eiusque discipuli Iamblichi, quos de Vita Pythagorae conscripsere, libris pleraque desumpta sunt, quae recentiores de Pythagora habent. Editus est Porphyrius et Iamblichus, una cum Anonymi apud Photium Vita Pythagorae, Graece et Lat. adiectis notis tum Holstenii, tum Rittershusii, tum propriis, nitidissime et correctissime a Ludolpho Kustero Amstelod. 1707. 4to. Ex recentioribus Ioh. Schefferus, Argentoratensis, et Prof. in Acad. Vpsal., Vitam Pythagorae se editurum promisit, in Praef. Libr. de Philos. Ital. quam, una cum libro de claris Pythagoreis, cuius idem ibidem spem fecit, ut a summa uiri huius eruditione impetrare possimus, optat Morhofius. Polyb. Philos. L. II. P. I. C. VI. Sed morte praeuentus ann. 1689. praeter librum de Nat. et Constit. Philos. Ital., quem maioris operis prodromum esse uoluit, nil edidit: magnam interim affectati operis partem superesse testatur Morhof. ibid. L. I. C. II. et Cl. Ioh. Mollerus in notis ad h. l. Morhofii. Schefferiani igitur operis defectum nobis suppleant, quae de Pythagora collegit Stanleius in Hist. Philos. P. VIII. ubi de Vita et Fatis huius Philosophi satis prolixè agit. Conscripsit quoque Vitam Pythagorae Liodyus, Asaphensis Episcopus, Anglus, Lond. 1699. edit., et Lingua Gallica Andr. Dacierius, quem tamen, ex nimio in hunc senem affectu, ueritatem plus uice simplici neglexisse, obseruat Stollus in der Hist. der Gel. P. II. C. I. §. 47. Multis Vitam Pythagorae inuolutam esse difficultatibus et contradictionibus, imprimis quod aetatem uiri concernit, dudum obseruauerunt uiri docti: hisce ergo tollendis animum appulit Henr. Dotvellus, Anglus, qui in Dissert. de Aetate Pythagorae Londini 1704. edit. in rationem temporum in Vita Pythagorae obseruandam inquit, ordinemque chronologicum emendatum et correctum nobis

Samius, uir tantae apud omnes celebritatis, quantam nullus ueterum Philosophorum est consecutus.

## §. IV.

Hic Pythagoras, comparata sibi, apud uariarum gentium

B

tium

nobis sistit. idem facit Celeb. Syrbius in tr., cui titulus est: Pythagoras intra syndonem noscendus, siue Historica in Physicam Pythagoricam Introductio, Ienae 1702. 8uo. edit. In compendio uitam Pythagorae descripsit, praeter alios, Stollius in *der Hist. der Gel. L. III. C. I. §. 23.*

*Samius.* De Pythagorae patria diuersae olim ueterum fuere sententiae, quas adducit Stanleius l. c. Cap. I. Syrum eum fuisse contendit Iamblichus Vit. Pythag. c. II. p. 4. alii omnino ex Iudaeis ipsum ortum fuisse existimant. Vid. D. Ioh. Frid. Meyeri Diss.: An Pythagoras fuerit Iudaeus Monachusue Carmelita? Hamb. 1707. 4to. habita; ceterum communis omnibusque fere probata est sententia, eum ex Samo, Archipelagi Insula, ortum duxisse, hinc etiam denominationem senis Samii accepit.

*uariarum gentium Philosophos.* De Peregrinationibus Pythagorae ad uarias gentes, Orientales imprimis Aegyptiosque, addiscendae sapientiae ergo susceptis, agunt Stanleius l. c. et Schefferus de Nat. et Constit. Phil. Ital. Cap. IV. Peculiarem quoque Exercitationem Historicam de Peregrinationibus Pythagorae conscripsit Vener. Buddeus, quae Analectis Histor. Philos. inserta est: idem argumentum tractandum elegit M. Christ. Schraderus in Dissert. Prima de Pythagora, Lipsiae 1708. habita, de qua quid censendum, uid. ap. Stollium in *der Histor. der Gel. L. II. C. I. §. 48.* Ceterum dudum inter eruditos est disputatum, num Pythagoras in itinere suo, ut ita loquar, Philosophico, cum Iudaeis quoque, studiorum causa, uersatus fuerit, et hinc ex illorum doctrinis in suam Philosophiam nonnulla deriuarit? Pro affirmatiua operose disputat Schefferus l. c., qui non sine omni proforsu prouidentia diuina factum iudicat, quod cum sapientiae amore studioque Pythagoras, quemadmodum ad alias gentes, sic Assyrios, Chaldaeos, Persas uenisset, inter hos inuenerit Iudaeos

tium Philosophos, insigni rerum diuinarum humanarumque

daeos sparsos, ac discipulos eorum. scilicet, pergit ille, perceptis pietatis uerae, honestatis ac uirtutis rudimentis uariis, doctrinas illas, postmodum deferre debuit ad Italas Graecasque gentes, quarum hae doctrina sapientiaque, illae armis et imperio, id est, rebus inter opera humana summis, ante cunctas alias debuerunt eminere. Ut sic, quicquid esset egregium, una cum hisce gentibus, per orbem uniuersum disseminatum, pulcherrime ac felicissime propagaretur l. e. Cap. XIV. p. 170. Scheffero, praeter plures alios, adstipulantur Buddeus et Syrbius ll. cc. imprimis autem Doctissimus ille Abrincensium Praesul, Petrus Dan. Huetius; hic enim in Demonstratione sua Euangel. Prop. IV. p. 458. et 476. Pythagoram Ezechielem pariter ac Danielem, populi Iudaici Prophetas audiuisse, praeceptoresque in Theologia habuisse, autumat. Sunt tamen contra ea alii, qui Pythagoram cum Iudaeis studiorum causa uersatum, aut ab iis eruditum fuisse, uariis ex rationibus negare allaborant, qua de re conf. Castal. Neoc. Anal. Hist. Phil. C. VII. p. 76. sqq. Et certe, si quis apud se reputauerit commune illud omnium paganorum erga Iudaeos odium et contemptum, quo illos pro hominibus stupidis, absurdis, nulliusque ingenii, habebant, uix credibile est, Pythagoram sapientiam apud hunc populum quaesuisse. Accedit notissimum illud Iudaeorum, dogmata sua et placita coram genibus quouis modo celandi, studium, quod tantum fuit, ut exterone quid in sacris illorum interesse, aut templum intrare, fuerit permissum, multo minus uero, arcanorum suorum, legumque ac doctrinarum de Deo rebusque diuinis, aliquem fecisse participem, praesumere licet. Equidem negari non potest, multa Pythagoram discipulis suis praescripisse instituta et dogmata, quae ex Iudaeorum moribus placitisque desumpta uidentur; fieri tamen etiam potuit, quod ab aliis ea acceperit gentibus; notum enim est, Orientis populos, Aegyptios imprimis, apud quos Pythagoram commoratum esse, nemo in dubium uocat, multa cum Iudaeis, quoad instituta moresque, habuisse communia. Huetii imprimis quod attinet sententiam, de Ezechiele Propheta, Pythagorae praecipiente, hoc unico illa nititur fundamento, quod Ezechiel Iudaeorum unus idemque sit cum Zaratho, Persarum Philosopho:

at

rumque scientia, tandem Crotonae, in ea Italiae parte, quae, ob frequentes Graecorum colonias, Magna Graecia ueteribus dicta est, confedit, ibidemque sapientiam docuit, tanto auditorum utriusque sexus confluxu, ut, et sexcentos, pluresque, simul suae se tradidisse disciplinae, Stanleius referat.

B 2

§. V.

at uero, hunc ipsum Zarathum, s. Zoroastrem, Persarum Philosophum, nullum alium esse asserit Huetius Dem. Euang. p. 109., quam Mosen, gentis Iudaicae ducem et legislatorem, quae quomodo cohaereant, non uideo. Ceterum de Pythagora, ad exteras gentes, sapientiae ergo, peregrinante, hoc adhuc memoratu dignum est, quod de ipso obseruant uitae eius scriptores, quod scilicet cuiuslibet gentis, quam discendi gratia adiit, sacra religionemque assumserit, cunctisque fere Graecis barbarisque mysteriis initiatus fuerit, quo liberior scilicet ei pateret aditus, secretiora quaeuis eorum dogmata rimandi; hinc etiam circumcissionem, cum apud Aegyptios esset, passus est, Aegyptiorum namque sacerdotes nullum doctrinarum suarum faciebant participem, qui non, hunc sustinendo ritum, suis se addictum esse sacris, testimonium praeberet. Patet ex his, quanta in Pythagora fuerit discendi cupido, ut et aitam religionem patriosque penates, quauis sese offerente occasione, lubens abiuraret, modo inueniret, unde sapientiae thesauros colligere posset. conf. Stollii Hist. der Heydn. Moral. p. 209.

*ea Italiae parte.* Hinc etiam haec secta Italica dicta est, quae denominatio omnium prima et antiquissima fuit. Pythagorica uero multo post haec schola denominata fuit, ad imitationem nempe reliquarum sectarum Philosophicarum, quae a conditoribus suis, primisque fundatoribus, nomina sumserunt. conf. Scheff. l. c. C. II. p. 10. sq.

*Viriusque sexus.* Nam et foeminas inter auditores suos habuisse Pythagoram, constans est ueterum traditio; commune autem hoc habuit cum multis aliis Philosophis, Platone imprimis, quem propterea apud multos male audiuisse, ex historia Philosophica nouimus. Clarissimarum mulierum Pythagoricarum seriem exhibet Stanleius L. c. cap. XXIV., quam uero ultra alterum tantum auget Fabricius Bibl. Graec.

## §. V.

Dogmata Philosophiae Pythagoricae quod attinet, difficile admodum de illis iudicatu est, maxime namque sua celabant huius sectae Philosophi, et, ne quid in uulgus emanaret,

Graec. L. II. C. 13. et mirum uideri possit, uerbis utor Menagii ex Hist. sua Mulierum Philosopharum, quae allegat Fabr. l. c., tot Pythagoricas mulieres extitisse, cum silentium Pythagorici per quinquennium seruarent, et plurima arcana haberent, quae uulgare fas non erat, mulieres autem ut plurimum sint loquaces, et quae secretum custodire uix possint.

*sua celabant.* Erat hoc perpetuum illud silentium omnibus Pythagoreis obseruandum; Hoc ipsum enim ante omnia suos edocuisse Pythagoram ferunt, ut, ab omni incontinentia linguae puri, doctrinas, quas perceperant, tacendi arte conditas haberent, id quod adeo rigoroſe obseruabant, ut illum, qui symmetriae et asymmetriae rationem indignis prius euulgauit, non tantum communi consortio conuictuque prohiberent, uerum etiam tanquam mortuo, et in alium, quam prius fuerat, hominem transmutato, sepulchrum construerent; alii uero mortem obire maluerunt, quam ullum Pythagorae dogma prodere, imo inter tormenta linguam dentibus mordicus correptam abscedebant, et in tortores suos exspuebant, ne scilicet, tormentis succumbentes, tacendum aliquid euulgare adigerentur. uid. Iambl. l. c. cap. 34. quod si iam in causam inquiramus, quae Pythagoram, suosque discipulos commouerit, cur sua adeo celata uoluerint dogmata, nulla alia uidetur fuisse, quam quod Pythagoras sua, quae discipulis propinabat, dogmata pro diuinis uenditabat, et hi, talia illa esse, credebant, quippe qui magistrum suum non ut hominem, sed Deum, aut cui proximus a diis locus competat, uenerabantur; cuius adeo uerba, non tanquam ab homine, sed tanquam a praestantiore humana natura prouenientia, inter arcana sua omnes summo silentio tegebant, ne peregrinis innotescerent, et ea sine scriptura, soli memoriae commissa, ac si deorum mysteria essent, ad successores transmittabant. Quod si quis interim Philosophiae Pythagoricae placita scire cupiat, uoluat Stanleium l. c. moralia eorum praecepta collegere Mag. Dan. Omeis Prof.

naret, omni studio caebant: hinc nec ipsum Pythagoram quicquam literis consignasse legimus, nec etiam discipuli eius libros conscripsere, sed memoria omnia tenentes, ingenio pro libris utebantur. Hinc etiam Hippasum in mari periisse aiunt, ut impium, quod quaedam dogmata Pythagorica euulgasset. Iambl. L. cit. C. XVIII. p. m. 74. Primus autem omnium, qui sectae Pythagoricae dogmata scriptis propalasse dicitur, fuit Philolaus, hic enim tres libros, quibus Philosophia haec continebatur, Dioni, Siciliae Tyranno, uendidit. Vid. Schefferus l. c. p. 133. qui uero, una cum Didymi Alexandrini Libro de Philos. Pythag., cuius ibidem mentio fit, periire, ut adeo hodie, quid Pythagoras docuerit, non ex superstitionibus huius sectae monumentis, sed ex aliorum scriptis, per meras lacinias et fragmenta, cognoscere liceat, quibus tamen, iudice Morhofio, Polyh. Phil. L. II. P. I. C. VI. aliena multa accessere, ex interpretatione eorum hominum, qui horum dogmatum aliqua collegerunt.

## §. VI.

Methodo docendi Pythagoras pro uarietate auditorum

B 3

uteba-

Prof. Altorf. in Ethica sua Pythag. et Stollus in Der Hist. der Heydn. Mor. p. 218. sqq. Ioh. Iac. Sybrii, quam edendam promisit, Physicam Pythagoream a celeb. Viro adhuc expectamus: Schefferi uero de Philos. Pythag. libro, cuius aliquando spem nobis fecit, quae fuerint fata, supra iam uidimus.

*uarietate auditorum.* Qui accurate hac de re loqui uolunt, omnes, qui Pythagorae utebantur institutione, in duas distinguunt classes, auditores nempe, et discipulos. Auditores sunt promiscua multitudo, quae Pythagoram certis locis diebusque, de uariis rebus, uitae morumque integritatem concernentibus, loquentem audiebat, ceterum uero Philosophiae nomen non dabat. Discipulos uero duplices habebat Pythagoras, Exotericos et Esotericos. Illi uocantur etiam Acusmatici, quia audire tantum, non autem interrogare, illis fas erat; Exoterici autem

utebatur uaria: praesente uulgo et promiscua multitudine, cuius tamen ipse nullam habebat curam, simpliciter quaedam dicebat, de iis, quae ad honestatem pertinent, quidque faciendum, quid omittendum, ostendebat; de iis uero, quae Philosophiam suam spectabant, nil dicebatur, ne scilicet quid emanaret. Quod si autem inter suos solus uersaretur Pythagoras, illis, qui in suam sese tradiderunt disciplinam, nondum tamen, utrum firmi et constantes essent mansuri in proposito, sese probarunt, post communia illa uitae praecepta, etiam suae Philosophiae proponebat dogmata, non tamen clare et perspicue illa docebat, sed definitionibus, aenigmatibus et symbolis, uelut summis quibusdam lineamentis, omnia adumbrabat, ut adeo Philosophiae huius speciem et pulchritudinem solummodo per umbram ueluti et nebulas symbolorum et aenigmatum intueri ipsis datum fuerit. Ceterum dictorum suorum Pythagoras nullas addebat rationes aut explicationes, sed solius magistri dicentis autoritate nitendum erat, et decantatum illud *αὐτός ἔφα*, *Ipse dixit*, unicum erat ac primum omnis suae ueritatis principium et criterium, imo, iuxta nonnullos, ne ipsius quidem Pythagorae institutione fruebantur, sed tantum ab uno perfectiorum discipulorum et intimiorum erudiebantur. Longe alia uero et pleniore docendi ratione Pythagoras usus est coram illis, qui iam perfectiores erant, et per omnia se probant. His enim non solum inter syndonem ipsum Pythagoram et audire, et uidere, concessum erat, sed etiam Philo-

---

autem dicti sunt, quod extra syndonem tantum praeceptorem audiebant, dicuntur etiam a quibusdam Pythagoristae. Esoterici sunt, qui intra Syndonem cum Pythagora uersabantur, quosque proprios suos discipulos et intimos familiares appellabat, dicuntur iidem etiam Mathematici et Pythagorei. Conf. Schefferus l. c.

lofophiam accipiebant claram ac perfpicuam, aenigmatum et fymbolorum inuolucris non obfcuratam, additis affertorum rationibus et probationibus, de quibus cum magiftro conferre, fuaque proponere dubia et obiectiones ipsis permiffum erat.

## §. VII.

Inftituta et praecepta, quae Pythagoras difcipulis fuis feruanda praefcribemat, uaria erant, feueriffima, domandisque ac compenfendis affectibus penitus comparata; praecipua autem inter illa notanda funt, temperantia cibi potusque, et fruga-

*Inftituta.* Conf. Stanl. l. c. p. 708. fqq.

*temperantia cibi potusque.* Nullo enim alio cibo utebantur Pythagorae difcipuli, ex magiftri praecepto, quam qui bonam redderet corporis habitudinem; optime autem haec praefrare, credebat Philofophus, olea et mel, et inter potulenta aqua; carnibus autem, aut pifcibus, et omni, quod animatum erat, nec non ouis, uelci permiffum non erat; fabis quoque et leguminibus abftinebant Pythagorici, quod corpus faciant tumidum et inflatum, et nimis alant. Vini ufum propterea fuis interdicebat Pythagoras, quod rationem perfringeret, eique uim inferret, et mentis finceritati integritatique officeret. Ceterum non omnes Pythagorae difcipuli hifce legibus adeo rigorofo adftricti erant, fed foli, qui uocabantur, perfecti et Theoretici, qui ueri euadere cupiebant Philofophi, et hinc integritati mentis puritatisque maxime ftudebant. Reliquis uero, quorum uita non omnino efferat purgata, fancta, et Philofophia, animalium carnumque ufus erat permiffus, quamuis tamen pifces et nonnulla animantia guftare omnibus erat interdictum: ita etiam uini ufus non omnibus prohibitus erat, permittebat namque Pythagoras, ut in coena aliquem eius portionem fumerent difcipuli. Vefte utebantur Pythagorici lintea, colore candido, lanae autem ufus ipsis a magiftro plane interdictus erat, id quod exemplo uel Indorum, uel Aegyptiorum Philofophorum factum fuiffe, autores referunt. Conf. Scheff. l. c. pag. 144. fqq. add. Differt.

frugalitas amictus, uoluptatibus opposita, communio omnium facultatum et bonorum, qua auaritiae obicem ponere uolebat Philosophus, arrogantiae denique animi, et ambitionis expellendae remedium erat silentium illud

Dissert. Histor. de Legibus Cibariis et Vestiariis Pythagorae, earumque causis, quam Praefide M. Ioh. Lud. Boie, t. t. Philos. Adi. in Acad. Ienensi, hodie uero Illustr. Gymn. Durlacensis Rectore meritissimo, Praeceptore meo nunquam non colendo, habuit Excellentissimus Ioh. Frid. Vveidlerus, Hospes meus ac Patronus, omni obseruantia suspiciendus, Ienae 1711. 4to.

*auaritiae obicem ponere.* Sublata enim rerum proprietate, cadit etiam desiderium apud homines, corradendi opes et diuitias: Dum uero, remoto omni usu priuato apud Pythagoreos, nullus quicquam suum reputabat, amicitia aequalis inter omnes oriebatur, quae alias, dum meum et tuum, dissidiorum et perturbationum omnium fons et scaurigo, inter homines obtinet, firma et diuturna esse uix potest.

*silentium.* Duplex silentium discipulis suis praecepisse obseruandum Pythagoram, uiri docti docent, alterum perpetuum, alterum uero temporarium, per certos tantum annos durans. Perpetui silentii Pythagorici natura et indoles quaenam fuerit, supra ad §. 5. diximus. Temporarium uero in eo consistebat, quod Pythagoras eos, qui suae se tradebant disciplinae, per aliquot annos, omni prorsus linguae usu interdixerit, et tam extra, quam intra scholam, ut pisces silere uoluerit. Sunt equidem nonnulli, qui silentii huius naturam ita explicant, ac si praesente tantum et docente magistro illud uiguerit, quippe quem interrogare, aut doctrinae propositae rationem ab ipso exigere, nefas erat: uerum enim uero, obstant huic sententiae clarissima ueterum testimonia, a Scheffero l. c. p. 117. adducta, quae satis probant, ab omni prorsus loquela suos, per hoc institutum, arcere uoluisse Pythagoram; accedit ipsius Apollonii Tyanenensis, accuratissimi disciplinae Pythagoricae obseruatoris, exemplum, hic enim, teste Philostrato in Vita eius L. I. C. XI. per totum silentii tempus, quod

quinquennale Pythagoricum, cui uaria adhuc accedebant  
C pro-

quod sibi seruandum praefixit, cum nemine, quocunque etiam, ne uerbum quidem locutus est. Tempus, per quod silentium hoc durabat, plerumque quinque fuerunt anni, interdum tamen quaedam facta est exceptio, ut aliquot detraherentur anni, pro aestimato nempe captu solertiae; nunquam tamen legimus, ante exactum biennium in silentio, alicui loquendi facultatem fuisse concessam. Conf. Aul. Gellius Noct. Attic. L. I. c. 9. Quod si iam de causa et fine huius a Pythagora discipulis praescripti silentii quaeras, mirum in modum uiros eruditos inter se dissentire, et alios hanc, alios aliam eius allegare causam, percipies; quam inter tamen sententiarum diuersitatem omnium minime fidem miretur Ambrosius, qui Offic. L. I. c. X. scribit: quod Pythagoras, Prophetam Dauidem secutus, legem silentii dederit suis. Schefferus loc. saepe cit. p. 119. sqq. prolixè agit de causis, quae Pythagoram permouerint, cur discipulis tam diuturnum imposuerit silentium, dicitque, alias respexisse ipsum magistrum, alias uero discipulos. Magistro hic inde redundasset fructus, quod auctoritas eius ualde per illud fuerit aucta. Didicissent namque discipuli, sine contradictione doctrinas et praecepta magistri, ueluti oracula, excipere, et ne in dubium quidem uocare, sed religione obseruare summa. Respectu discipulorum uero per silentium uarios intendisset Pythagoras fructus: primo namque per illud dare debuissent documentum uirium suarum, utrum ea, quae sunt aspera, possint ac uelint sustinere; omnium enim difficillimum est linguae imperare, teste Iamblichò loc. cit. c. 31. deinde uoluisset expendere, num discentes, quae audiunt, silere et custodire possent; porro num animum in perturbationibus compositum haberent, et si qui sunt alii fructus, quos Schefferus de hoc silentio Pythagorae l. c. laudat. Interim, quantumuis etiam nonnulli hoc institutum Pythagorae depraedicent; sunt tamen alii, qui existimant, Pythagoram in illo boni doctoris officio minime functum fuisse, sed suae potius superbiae  
atque

probationum et uexationum genera, iis, qui in Pythagorae recipi uolebant familiam, subeunda.

§. VIII.

Quamquam autem mores et praecepta, quae Pythagoras

atque inuidiae consuluiffe, simul uero haec uitia discipulis etiam suis instillasse. Primarios namque, ex mente Pythagorae, huius silentii fines unice spectasse, aiunt, ad auctoritatem suam corroborandam, suoque fastui Philosophico alimenta suppeditasse; reliquos uero, qui allegantur, fines, quamuis uel ad uitium aliquod amoliendum, uel ad uirtutis quendam habitum comparati uideantur, utpote solum prioribus obtentos, pro secundariis habendos esse. conf. Joh. Dau. Koeleri, Prof. Altorf., Dissert. de Paedantissimo Pythagorae didactico, ratione silentii, Altorf. 1714. 4to edit., quam Excell. Stollus uocat: eine recht gründliche Dissertation, Hist. / Der Ges. P. III. c. I. §. 23.

*probationum et uexationum.* conf. Schefferus et Stanleius II. cc. add. Stollus Hist. der Heydn. Moral. p. 112. sqq. Si quis ergo probationis suae annos patienter sustinuerat, neque in fidem et constantiam suam ullum dubium ponendum esse ostenderat, in familiam et interiorum cum Pythagora conuersationem recipiebatur, omnibusque illis gaudebat priuilegiis, quae de discipulis Pythagorae esotericis supra adduximus. Cui uero haec uiuendi ratio dura nimis ac aspera uidebatur, uotique poenitebat, eum non solum lubens iterum dimittebat Pythagoras, sed et duplum omnium bonorum et facultatum, quas in communionem dederat, restituebat; simul uero istiusmodi homini publicum aliquod erigebatur monumentum, tanquam mortuo, quo non solum omnes, ulterius cum illo uersari, dehortabantur, sed et omnium honorum et munerum, in republica gerendorum, incapax decla-

ras suis praescripsit obseruanda, admodum essent dura, genioque hominum, ad uoluptates aliaque uitia per naturam pronorum, penitus contraria; hoc tamen non obstante, tot Pythagoras habuit discipulos et sectatores, ut etiam totas urbes soli condidisse, omnemque eam Italiae partem, quae Magna Graecia dicta est, incoluisse, dicantur Stanleio l.c. Coniunctim ab initio uiuebant in coenobiis, ubi omnia omnibus erant communia, et arctissimam inter se colebant amicitiam, segregati ab omni cum aliis hominibus commercio. Orta uero grauissima contra hanc sectam persecutio, gymnasiis

C 2

fiis

declarabatur, quo factum est, ut plurimi quaeuis potius sustinerent, quam ut, cui semel se addixerant, Pythagorae sodalitiū iterum desererent, conf. AA. supra cit.

*Discipulos et sectatores.* Nomina eorum, qui celebres extiterant in Pythagoreorum secta, recenset Iamblichus Vit. Pyth. cap. ult. et ex eo Stanleius l. c. p. 704. sq., quae tamen nomina pleraque a Iamblichō conficta esse, conicit Lioydus, Anglus, in Vita Pythag. Lond. 1699. edit. apud Fabricium in Bibl. Gr. L. II. c. 13., qui et ipse prolixum, et multo-auctiorem, Pythagoricorum dat catalogum, in fine autem eius addit: Hi sunt Pythagorici non omnes, sed ex omnibus gloriosiores. Pythagoreorum quoque, et Pythagorearum clarissimarum nomina ex rudibus Historiae Pythagorae, ab Aristoxeno plene descriptae, collegit et exhibuit Ionius de Script. Hist. Philos. L. I. c. XIV.

*coenobiis.* Hinc etiam coenobitas dictos fuisse, obseruat Schefferus loc. cit.

*persecutione.* De qua agunt Iambl. c. 35. et Schefferus p. 174. Orta est haec persecutio, postquam ultra duo secula cum dimidio, iuxta Schefferi rationem, durasset Pythagorae schola, et tam notabilis apud

fiis partim crematis, partim dirutis, discipulis uero partim caesis, partim in exilium actis, publica quidem eius et certa, per consuetas scholas, obseruatio sublata fuit, non autem ipsa secta; quippe quae non solum laudem retinuit, quod fuerit

apud ueteres fuit, ut etiam multi ab illa annorum epocham numerarent. Causa eius refertur fuisse odium plebis, in quod Pythagorei, ob singularem prorsus, et ab omnium aliorum hominum commercio separatam, uiuendi rationem, incurrebant: metuebant namque ciuitatum, inter quas degebant, incolae, ne forte, indies magis magisque aucto huius sectae numero, tandem aliquid in detrimentum reipublicae molirentur hi homines, hinc, suae saluti consulturi, de caede et ruina Pythagoreorum inter ipsos conueniebat, et consilium etiam statim exquebantur: quod uero hic metus et suspicio uana atque inanis, ac Pythagorei etiam innocentes fuerint, iudicat Schefferus.

*publica quidem eius.* Nunquam enim, post memoratam cladem, haec schola reuocari, et in ordinem redigi potuit, reliquiis eius hinc inde dispersis, ac solitarie et sine ullo cum aliis hominibus commercio uiuentibus. accedebat, iudice Scheffero p. 178., et id, quod iisdem temporibus exorirentur uiri magni celebresque Philosophi, Plato, Aristoteles, Speusippus, et alii, qui non modo nouitate doctrinarum, sed et comitate uitae morumque amabilitate, facile homines in se trahebant, Pythagoricam uero inuidiosam reddebant, tanquam talem Philosophiam, quae nimis aspera, hominibusque, uitae felicioris studiosis, minus apta sit: auxit uero hanc inuidiam, succedentibus imprimis temporibus, haud parum magiae suspicio, huic quasi sectae propria; quippe non modo Pythagoras, autor eius, sed et quamplurimi eius sectatorum, huius criminis incusabantur; quod quo iure, quae in iniuria factum, alibi forte uberius inquirendi nobis dabitur occasio.

fuerit fons et mater omnis, quae apud Graecos floruit, Philosophiae,

C 3

*fons et mater.* Ita hac de re scribit Schefferus l. c. p. 2. Etenim haec secta est, a qua, quicquid eximium pene habetur in ceteris, ceu ex capite fonteque decurrit; hinc Socrates et Plato, principes Philosophorum, hinc Peripathetici et Stolci, et reliqui, omnes, quas proponunt religiosissimas de Deo, de natura rerum, de honestate uitae, ciuilique rectitudine, sententias, ut suo loco demonstrabitur, hausere; ut, si quae in his sint difficiliora paulo et obscuriora, cognoscere in recessibus ac penetralibus suis uelimus, uelle autem debemus omnes, quotquot solidam, non superficialiam doctrinam quaerimus, non sine ope ac subsidio Philosophiae Italicae ualeamus; et alibi in l. c. ita scribit: Plato Aristotelesque, capita et quasi coryphaei quidam omnis sapientiae inter paganos ac eruditionis, sua habuerunt a Pythagora, consentit cum Scheffero, eiusque assertum approbat, Morhof. Polyh. Philos. L. II. P. I. c. VI. §. 1. p. m. 175. Et Eleaticam quod attinet sectam, propaginem Italicae illam facit Syrbius in tab. Hist. Phil., quam Philos. suae primae adiecit; quomodo uero Epicurus, qui ex Eleatica Schola prodiit, inter Pythagorae successores sit referendus, ex Laertio Schefferus ostendit p. 170. idem pag. 42. 54. sqq. declarat, quomodo et ratione finis Philosophiae, qui est assimilatio cum Deo, et ratione fructus, qui est nihil admirari, omnes ueterum Philosophorum sectae cum Pythagora consenserint. De Platone imprimis notum est, ipsum Erasum, Philolaum et Archytam, Pythagoreos, praecipuos habuisse, emit etiam a Philolao libros Pythagoricos, ex quibus ipsum multa surripuisse, inque suam transtulisse Philosophiam, iam olim in suspitione erat. Hinc etiam Apuleius ipsam Pythagorizare dicit, et, quod miscuerit Socraticam doctrinam cum Barbara et Pythagorica, Xenophon, Aristoteles et Plutarchus ipsi exprobrant, hinc et Platonem in catalogo clariorum Pythagoreorum recenset Ionsius L. I. c. 14. et Fabricius Bibl. Gr. L. II. c. 13. Platonem nonum, Aristotelem uero decimum successorem Pythagorae facit Schefferus p. 170. ab his duobus autem ortum trahit, quicquid pene extitit apud Graecos Philosophorum.

sophiae, sed et omni tempore inuenti sunt uiri eruditionis uirtutisque laude clari, qui Pythagoricae Philosophiae nomen darent, eamque pristino suo splendore reddere conarentur.

§. IX.

Inter omnes uero, qui Philosophiae Pythagoreae nomen dederunt, eamque sequendam sibi elegerunt, nullus est, qui maiorem nominis celebritatem sibi comparauerit, quam Apollonius ille Tyanensis senior. Hic enim non modo Pythagorae dogmata omnia approbabat, eiusque instituta et praecpta, quanta fieri potuit solertia, assequi studebat, sed et praeterea ob dictorum monitorumque sapientiam, morum integritatem, uitae puritatem, factorumque denique stupendorum, quae omnis humanae cognitionis limites transgredi uidebantur, multitudinem, non modo apud Philosophos, sed Theologos quoque, eosque, qui de Veritate Christianae religionis sunt solliciti, est quam notissimus. Huius igitur uiri cum tanta sit nominis celebritas, in historiam eius, famam et facta, sequentibus pagellis, pro ingenii uiriumque modulo, inquirere animus est. Faxit Deus feliciter.

*inuenti sunt uiri.* Pertinet huc imprimis Nigidius Figulus, rerum naturalium indagator maximus, teste Macrobio Saturn. L. III. c. IV. docuit hic, Iulii Caesaris tempore, Romae Philosophiam Pythagoream, eamque in lucem iterum protrahere summo studio allaborauit. uid. Stollii Hist. der Gel. L. II. c. I. §. 53. secuti hunc sunt alii Caesarum temporibus, quos uid. apud Fabr. l. c., inter quos eminent Numenius, qui sub Lucio Vero et M. Antonio floruit, de quibus tamen obseruant, quod non puram, sed mixtam aliquam ex Pythagorae Platonisque, imo et commentis propriis cuiusque, Philosophiam coluerint, et, licet sese sectatores Philosophiae Pythagoreae publice professi fuerint, in non paucis tamen minime ueterum Pythagoricorum grauitatem sapientiamque assecutos uideantur. Scheff. l. c. p. 18.

**T**E studium, pietas, doctrina, mode-  
stia, KLOSI,  
Cunctis TE uirtus sedulitasque pro-  
bant:

Quos hinc non fructus promittam? Pa-  
tria plures

Larga TIBI, felix sic modo perge, dabit.

Amoris et fauoris testandi gratia  
aggratulatur

**PRAESES.**

**O**mnia cum pereant, est uirtus sola perennis,  
Haec immortales reddere sola potest.

Hoc bene perpendens, mi Klosi, fortibus ausis  
Ingredieris, uirtus quod Tibi pandit iter.

Praesens namque Tuum specimen testatur abunde,  
Quid curae ualeant, quid studium efficiat.

Hinc merito grator Tibi de successibus istis,  
Et precor, excipiat messis opima sata.

Ita Nobilissimo Dn. dissertationis huius Au-  
ctori, fautori ac Amico suo aestu-  
matissimo applaudere uoluit

**Ioannes Fridericus Seiferheld,**

**OPPONENS.**

**D**er Blütthe folgt die Frucht / dem Siege Lorbeer-Cronen/  
Die Welt stellt sonst dem Fleiß ein Ehren-Denkmahl an.  
Fähret Caesar durch das Meer / so ruffet jedermann:  
Baut diesem Tempel auf / und macht ihm güldne Thronen!  
Drum

Drum will ich / **WERTHER FREUND** / heut auch  
nicht müßig bleiben /  
Da Dein Gelehrsamkeit sich ganz vortrefflich zeigt /  
Gott cröne Deinen Fleiß / er mach die Arbeit leicht /  
Daß man an statt des M. dereinst ein D. mög schreiben.

Dieses schreibet zum besten Andencken

**Johann Heinrich Baumann** /  
SS. Theol. Cult.

**W**enn Castors Glücks-Gestirn bey seinem Pollux stehet /  
So creuzt ein schnelles Schiff auf unbewegter Höh:  
Und wenn Verstand und Fleiß erwünscht zusammen gehet /  
So seegelt man erwünscht auf der gelehrten See /  
Biß uns ein Zephyrus in Pallas Hafen bringet.  
Man siehths an Dir / **HERR KLOS** / Dein Kahn eilt  
glücklich fort /  
Ich seh im Geist voraus / wie er zur Unfurt dringet /  
Ja wie die Segel schon in dem gefundenen Port.

Hiermit empfehlet sich dem Herrn Mag.<sup>r</sup> er  
dessen ergebenster

**Johann Peter Laforn** /  
SS. Th. Cult.


**P**raemia, quae, KLOSI, statuit Tibi nuper Apollo,  
Nunc specimen doctum, Te meruisse, probat.  
Egregie monstras, Tua quid solertia possit,  
Quod si sic pergis, mox meliora feres.

Gratulabundus ser.

**Wolfg. Lud. Reizius**,  
Marcobreita-Francus, SS. Th. St.

RS (o) SF

33  
LBMV Schwerin  
000 314 420






Landesbibliothek  
Mecklenburg-Vorpommern  
Günther Uecker

[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1769573739/phys\\_0028](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1769573739/phys_0028)

**DFG**



the scale towards document

APOLLONIO TYANENSI.

21

ater omnis, quae apud Graecos floruit, Philosophiae,

C 3

hac de re scribit Schefferus l. c. p. 2. Etenim haec quicquid eximum pene habetur in ceteris, ceu ex caecurrit; hinc Socrates et Plato, principes Philosopho-  
thetici et Stoici, et reliqui, omnes, quas proponunt Deo, de natura rerum, de honestate uitae, ciui-  
sententias, ut suo loco demonstrabitur, hausere; nis sint difficiliora paulo et obscuriora, cognoscere in  
etralibus suis uelimus, uelle autem debemus omnes,  
non superficialiam doctrinam quaerimus, non sine Philosophiae Italicae ualeamus; et alibi in l. c. ita  
Aristotelesque, capita et quasi coryphaei quidam omnis  
paganos ac eruditionis, sua habuerunt a Pythagora,  
Scheffero, eiusque assertum approbat, Morhof. Polyh.  
c. VI. §. 1. p. m. 175. Et Eleaticam quod attinet se-  
em Italicae illam facit Syrbius in tab. Hist. Phil.,  
e primae adiecit; quomodo uero Epicurus, qui ex  
rodijt, inter Pythagorae successores sit referendus,  
rus ostendit p. 170. idem pag. 42. 54. sqq. declarat, quo-  
finis Philosophiae, qui est assimilatio cum Deo, et  
qui est nihil admirari, omnes ueterum Philosopho-  
Pythagora consenserint. De Platone imprimis no-  
Eraftum, Philolaum et Archytam, Pythagoreos, prae-  
emit etiam a Philolao libros Pythagoricos, ex  
lta surripuisse, inque suam tanstulisse Philosophiam,  
cione erat. Hinc etiam Apuleius ipsam Pythagori-  
od miscuerit Socraticam doctrinam cum Barbara et  
phon, Aristoteles et Plutarchus ipsi exprobrant, hinc  
catalogo clariorum Pythagoreorum recenset Ionsius  
abricius Bibl. Gr. L. II. c. 13. Platonem nonum,  
decimum successorem Pythagorae facit Schefferus  
bus autem ortum trahit, quicquid pene extitit apud  
horum.